

TIONALE, seu CARTHAGINENSE a 214. Episcopis an. 418. celebratum, ubi, quod tanquam Canon secundus Concilii Milevitani olim referebatur, et in codice Canonum Ecclesiae Africanæ capitulo 110. legitur, sic est constitutum (Labb. t. 2. p. 1664. A.): *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adami trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis excipietur: unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere sed false intelligatur; anathema sit.* 3^o. GENERALE EPHESINUM, in quo Celestianorum, quo nomine veniebant Pelagiani, dogmata universim damnata sunt.

His accedunt alia postmodum in Italia, Hispania, Gallia et Germania celebrata; ex quibus memorandum præcipue est ARAUSICANUM II. an. 529. collectum, utpote cujus decreta c. 2. et 4. a CONCILIO TRIDENTINO Sess. 5. de peccato originali renovata fuerunt. Item FLORENTINUM, quod in Decreto unionis docet, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penæ tamen disparibus puniendas.*

78. *Obj.* Plures PATRES ante et post Pelagii tempora peccatum originale negarunt.

R. N. Ass. Cujus falsitas ex libris S. AUGUSTINI contra Julianum patet, ubi Pelagianis auctoritatem Patrum eripit, horumque scripta ab illorum errore vindicat: Addiderunt quidem Zwinglius, Servetus, aliique recentiores hæretici nonnulla aliorum testimonia, sed quæ soluta etiam Bellarminus, Natalis Alexander, aliique Theologi dederunt. Præcipua ex utrisque dabimus absque ampliore tamen textuum recitatione, quos apud laudatos auctores alibique reperire est. At secundum solutionis diversitatem, quam patiuntur, triplicem classem constituunt.

79. In 1^a. Classe S. JUSTINUS ad Orthodoxos, q. 88. dicit illud Jobi, *Nemo mundus a sorde*: non pertinere ad infantes. S. AMBROS. in Comment. ad c. 5. epist. ad Rom. v. 12. negat nos *peccato Adami pati mortem secundam, quæ in gehenna dicitur.* OPTATUS MILEVITAN. cont. Parmenian. L. 7. c. 1. dicit non pertinuisse ad Seth filium peccatum Adæ patris admissum.

R. 1^o. Manifestum est L. QQ. ad Orthodoxos non esse JUSTINI, cum q. 113. citentur ORIGENES et IRENÆUS, uterque JUSTINO posterior: Bellarminus AMBROSIIUM hujus commentarii auctorem negat: Natalis Alexander ostendit librum septimum cont. Parmen. esse dubium OPTATI MILEV. factum.

R. 2^o. Auctor 1^{us}. per *sordem* intelligit peccatum personale: 2^{us}. per *mortem secundam* penam sensus in inferno: 3^{us}. peccatum Adami, quatenus illi personale erat, non autem quatenus fuit naturæ in Adamo tanquam capite corruptæ, quemadmodum singula ex contextu liquent.

80. In 2^a. Classe ORIGENES L. 5. Comment. in ep. ad Rom. n. 1. (opp. t. 4. part. 1^a. p. 146.) 1^o. per *mundum*, in quem intravit peccatum, intelligit *homines terrenos et carnales*: 2^o. *mortem* per Adamum ingressam explicat de morte animæ actuale peccatum insequente (ibid. p. 347. C.): 3^o. Unius delicto multos, et non omnes vult constitutos esse peccatores (ibid. n. 2. p. 553. A.): 4^o. Denique plures ait per Christum redemptos, quam per Ada-

num mortuos (ibid. p. 553. B.). ARNOBIUS autem in Psal. 50. ait eum, *qui nascitur, sententiam quidem Adæ, non autem suum peccatum habere.*

R. 1^o. Pro neutrius auctoritate multum laborare opus est. Præter dicta enim num. 68. audiendus hic est S. HIERON., qui Pelagianis ad ORIGENEM provocantibus in calce Dialogorum ita insultat: *Transite ad Amasium (Origenem) vestrum, qui præterita in calis et antiqua delicta solvi dicit in baptismo; ut cujus in cæteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini.* Unde nec homilias in Leviticum, de quibus loc. cit. nec hom. 3. in Cantic. nec L. 4. cont. Celsum pro veritate nostra referre necesse duximus. ARNOBIUM autem, utpote alium ab Arnobio Lactantii Magistro, et Pelagianum hominem, quem etiam juxta Natalem censura GELASII tetigit, multo minus curamus.

R. 2^o. Qui explicare tamen voluerit auctores illos, ex Huetii sententia dicet, ORIGENEM in primo pro more suo locutum allegorice, non dogmaticè: in secundo præcisive, non exclusive: in tertio peccatoris nomine ab eo intelligi, qui voluntate propria peccavit: in quarto eatenus plures a Christo redemptos, quatenus ipse etiam Adam et Eva revocati sunt ad vitam. ARNOBII porro dictum in hunc quoque catholicum sensum interpretari poterit: qui nascitur, suum, hoc est, proprium peccatum non habet; habet tamen sententiam Adæ, cujus peccato constrictus est.

81. In 3^a. Classe opponitur I. TERTULLIANUS, qui L. de Baptismo c. 18. probat differendum esse baptismum parvulorum, ea inter alias ratione, quod *innocens ætas remissionem peccatorum non eget.*

R. Vocat innocentem ætatem, quia personale peccatum non habet: existimat baptismum eorum ad usum rationis differendum, ut simul actualem fidem suscipiant: ibidem tamen, et locis n. 75. indicatis originale peccatum agnoscit. Ejus porro de differendo parvulorum baptismum opinionem Ecclesia Africana an. 253. in Concilio, cui præerat Cyprianus, improbavit. V. n. 75.

II. CLEMENS ALEX. L. 3. Stromatum 1^o. textus Jobi et Psalmi, quos pro nostra sententia attulimus, in alium sensum detorquet (opp. p. 468. D. 469. A. edit. Paris. 1629). 2^o. Negat Davidem in peccatis conceptum esse (ibid.) 3^o. Quærit, ubinam fornicatus sit infans, vel quomodo, qui nihil operatus est, sub Adæ execrationem ceciderit (ibid.).

R. 1^o. Pro CLEMENTIS in hac questione orthodoxia facit tum ipsius eloquium L. 1. Pædag. cap. 6., ubi dicit baptismum esse lavacrum, quo peccata absterguntur: tum testimonium ATHANASII serm. in illa verba: *Omnia tradita mihi sunt a Patre*, qui traditionem de peccato originali in Ecclesia Alexandrina semper viguisse asserit: tum silentium Pelagianorum, qui eum nusquam in suum patrocinium appellarunt.

R. 2^o. Pugnabat hic loci CLEMENS contra Basilidianos, qui tum animas ante corpus creatas fuisse, et in anteriore illa vita peccasse contendebant, ut ex L. 4. Strom. constat: tum liberorum procreationem esse execrationem effutiebant, ut ex ipso loci objecti contextu apparet, cui subjicitur: *Restat ergo eis, ut videtur, consequenter, ut dicant malam esse generationem.* Ex his autem patet, cur ille Doctor hæc scripserit. Nam 1^{um}. fecit, non ad negandum peccatum originale, sed ad declinandam vim adversariorum, qui his textibus ad suos errores stabiliendos abutebantur; quam methodum subinde a

SS. Patribus adhibitam Tournely observat. In 2^o. negat Davidem esse conceptum in peccato, quod esset ipsa generatio et peccatum matris : non autem negat conceptum in originali peccato, seu primorum parentum, quia addit : *Quando dixit : in peccatis conceptus sum. etc. dicit propheticè matrem Evam. Ad 3^{um}. Patet ex dictis, quæstionem ejus fuisse de peccato actuali commisso in vita anteriore; et sic controversiam de originali peccato nequidem hic attigisse.*

III. S. CHRYSOSTOMUS multis in locis nobis contradicit. Nam 1^o. in hom. 10. in epist. ad Rom. n. 1. negat homines per Adæ peccatum constitui peccatores, nisi quatenus *mortales effecti sunt*. 2^o. Hom. 17. in 1. ad Cor. n. 4. dicit homines perire non propter Adamum, sed peccatum proprium. 3^o. Hom. 39. in eamd. ep. n. 3. ait non omnes in Adam esse mortuos morte peccati, sicut non omnes in Christo vivificantur, cum multi damnentur. 4^o. Hom. 24. in ep. ad Ephes. n. 5. distinguit inter peccatum primi hominis, et id, quod perpetramus, dicendo : *illud soli corpori, hoc animæ mortem asserre*. 3^o. Hom. ad Neophytos (opp. edit. Latin. t. 5. p. 289. Antwerp. 1614.) *infantes asserit, quamvis peccato inquinati non sint, baptizari, ut eis sanctitas, justitia et adoptio addatur.*

R. 1^o. S. AUG. L. 4. cont. Julian. c. 6. CHRYSOSTOMUM vindicaturus sic Julianum alloquitur : *Itane est? verba S. Joannis Episcopi audes tanquam e contrario tot taliumque sententiis opponere?... Absit ut Constantinopolitanus Joannes de baptisate parvulorum, eorumque a paterno Chirographo liberatione per Christum tot tantisque Coepiscopis suis, maxime Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio... Hoc (peccati originalis dogma) credidit, hoc didicit, hoc docuit et Joannes. Tum ex hom. 10. in epist. ad Rom., hom. ad Neophytos, hom. de Lazaro resuscit. et ep. 3. ad Olymp. affert ejusdem verba, quibus originale peccatum extare affirmat.*

R. 2^o. Idem S. Doctor objecta refutat, cum quo

Ad 1^{um}. R. In hac ipsa homilia a S. Chrysostomo probari peccatum originale, quo negat constitui homines peccatores personaliter et actualiter, sed originaliter et habitualiter; quod explicat per *obnoxios supplicio et reos mortis*, quia evidentius erat mortis debitum ex Adami peccato ab omnibus contrahi.

Ad 2^{um}. R. Cum hic baptizatos alloquatur, recte dixit eos per originale peccatum non perire, si pereant; quia illud per baptismum jam erat condonatum.

Ad 3^{um}. R. Exempla hic allata et ipsum ejus ratiocinium probant S. Doctoris sensum esse, quod non omnes mortui sint in Adamo ea peccati morte, in qua perpetuo mansuri, et a qua nunquam liberandi essent.

Ad 4^{um}. R. Antithesin in eo esse positam, quod mors corporis ex primo peccato ortum habeat, etsi per baptismum remissum sit; mors autem animæ in regeneratis, de quibus hic loquitur, jam ex illo primo peccato non oriatur, sed ex iis, quæ propria voluntate et actione committimus. Ubi nihil contra fidem originalis habetur.

Ad 5^{um}. R. Cum S. AUGUST. loc. cit. n. 22. hujus homiliæ interpretem locum versione sua interpolasse, cum auctor non dixerit, infantes non esse inquinatos peccato, sed peccatis, nempe personalibus, ut ex græci textus fide

probatur. Præterea, cum per baptismum dicat infantibus addi sanctitatem, justitiam et adoptionem, agnoscit eos ante baptismum his carere, ac proinde esse in statu peccati et damnationis, cum inter utrumque statum non detur medius (1).

IV. GREG. NYSSENUS in Orat. de infantibus præmatura morte abreptis (opp. t. 3. p. 329. B.) dicit eos *omnis malitiæ expertes, et sanitate, quæ per purgationem contingit, non indigentes*. THEODORETUS autem 1^o. in LL. hæretic. fabularum omittit eam, quæ peccatum originale negat. 2^o. Textus Scripturæ ex Ps. 50. v. 7. et ep. ad Rom. c. 5. v. 14. explicat more Pelagianorum, agnoscendo in homines transfusam esse mortem, non peccatum. 3^o. L. 5. hæ. fab. c. 18. (opp. t. 4. p. 292. C.) quærit : *Quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?*

R. 1^o. S. GREGORIUM NYSS. et THEODORETUM Catholicum dogma de originali peccato tenuisse patet ex eorum scriptis; quorum primus in Psalmum sextum (opp. t. 1. p. 369. A.) sic commentatur : *Sordes hominis peccatum est, quod una cum humana orditur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea*. Alter autem in c. 5. ep. ad Rom. v. 12. hæc habet : *Dixit itaque Apostolus, quod cum Adam peccavisset, et mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus pervenit. Ad omnes enim mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt*. Hinc quamvis mox subjiciat : *Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit*; ex præmissis tamen patet, non eum hic loqui de peccato actuali posterorum, sed de peccato Adami per traductionem quibuslibet proprio facto, nec extrinsece duntaxat imputato; præsertim cum L. 5. hæ. fab., qui etiam Epitome Decretorum divinatorum inscribitur, c. 11. pluries fidei doctrinam confirmet.

R. 2^o. GREG. recte dixit infantes baptizatos esse malitiæ omnis expertes, neque indigere sanitate, quæ per purgationem, hoc est, *pœnitentiam* contingit; cum peccatum actuale non commiserint.

De THEODORETO ex dictis,

Ad 1^{um}. R. Ob contrariam fidei opinionem non omisisse errorem illum : forte satis habuit Pelagianam hæresin retulisse; cujus partem hunc de originali errorem esse liquebat.

Ad 2^{um}. R. Contrarium patere partim ex proxime laudatis, partim ex ipso in Ps. 50. verborum sensu, qui is duntaxat est, naturam ad peccatum non impelli; adeo ut necessitate peccemus, nec a peccato abstinere possimus.

Ad 3^{um}. R. Agit hic contra Messalianos, qui peccata actualia duntaxat per baptismum quasi per novaculam radi, originale autem quasi radicem non per illum, sed per orationem evelli fabulabantur. Ad eos itaque refellendos opportune quærit THEODORETUS, cur infantibus tamen baptismus conferatur? Juxta illos enim non dabatur baptismus ad delendum originale : nec infantes etiam habent actuale, seu propria voluntate et actione commissum : quod intellexit; dum diceret *infantes peccatum non gustasse*; quia qui *gustat*, propriam actionem exerit. V. P. GARNERII Dissert. 3. de fide Theodoretici c. 4. (opp. Theodoretici t. 5. p. 480.)

(1) Hæc ad Neophytos homilia (quam genuinam esse AUGUSTINUS nunquam dubitasse videtur) inter spurias a recentioribus criticis ablegata, in nulla S. CHRYSOSTOMI editione reperitur, si Duceanæ supra citatam excipias.

§ III.

Quibus argumentis probetur ex Ratione, et vindicetur existentia peccati originalis?

82. *Argumenta ex Ratione* hic non dicimus rationes naturales, utpote cujus generis hic nullæ esse possunt, sed sumptas ex aliis principiis fidei. Præcipua autem, quæ SS. PATRES, præsertim S. AUG., afferunt, desumuntur

I. EX GENERALI REDEMPTIONE CHRISTI. Christus mortuus est etiam pro infantibus; ergo et infantes peccaverunt. Atqui non peccaverunt peccato personali et actuali; ergo originali. *Enthymema* patet ex c. 3. ad Rom. *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*: ex 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus*. Totus discursus habetur in AUG. L. 1. de pecc. mer. et remiss. c. 23. *Quis audeat dicere, non esse Christum infantium Salvatorem nec redemptorem? unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato?*

II. EX NECESSITATE BAPTISMI. Baptismus omnibus etiam parvulis est necessarius, ut et ipsi Pelagiani admiserunt, et perpetuus sensus ac usus Ecclesiæ probat, quæ semper summa sollicitudine parvulis de vita periclitantibus baptismum procuravit. Est autem necessarius, vel ut infantes mudentur; quia hic est effectus primarius, juxta formam hujus Sacramenti: *Ego te baptizo* etc. et juxta illud ad Ephes. 5. *Mundans lavacro aque in verbo vitæ*: vel ut infantes possint intrare in regnum Dei, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Atqui ex utriusque effectus necessitate constat infantes esse peccato infectos; tum quia hæc mundatio est tantum a peccatis: tum quia sola peccata ab ingressu regni cælorum arcent; ergo.

Conf. EX CEREMONIIS BAPTISMI, exorcismo scilicet et sufflatione, quas teste S. AUG. L. 6. cont. Julian. c. 5. n. 11. et L. 3. oper. imperf. cont. eundem n. 182. in Ecclesia universa semper, et quidem ad dæmonem abigendum usurpatis nec ipsi Pelagiani negare ausi sunt; unde sequitur perpetuum Ecclesiæ sensum fuisse, quod etiam infantes ante baptismum sub dæmonis potestate, et hinc peccato aliquo inquinati fuerint.

Nec obstat hic effugium Pelagianorum alibi examinandum, cum dicerent, parvulos non baptizari, ut deleatur eorum peccatum, neque ut sint beati, aut *vitam æternam* habeant, utpote ipsis debitam; sed tantum ut fiant hæredes regni cælorum. Nam 1º. Baptismus non dari parvulis in remissionem peccatorum pugnat contra illud ad Ephes. loc. cit. et c. 3. ad Titum. 2º. Parvulos posse esse beatos sine baptismo et Christi sanguine repugnat ep. 1. Joan. c. 5. ubi dicitur: *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est, qui venit per aquam et sanguinem* etc. Item 1. ad Cor. 15. *In Christo omnes vivificabuntur*. Errores alios, beatitudinem nempe esse extra regnum cælorum, et sine ullo peccato parvulos excludi ab hoc regno, refutat S. AUG. L. 1. de pecc. mer. c. 28., L. 3. cont. Julian., alibi que, et nos infra forte attingemus.

III. EX VARIIS HUMANÆ NATIVITATIS ADJUNCTIS, Eorum 1º. est juxta S. AUG.

L. 4. cont. Jul. c. ult., quod tam multæ ac tantæ sint miseriæ tum animæ tum corporis, quas quilibet a pativitate experitur, ut non videantur connaturales naturæ humanæ secundum se et sine culpa spectatæ. 2º. Juxta S. GREG. L. 4. Mor. c. 7. (al. 1. n. 4.) quod justī in sacris litteris maledixerint conceptioni suæ et diei natali; id quod non ratione naturæ, sed culpæ fecisse censendi sunt. 3º. Juxta AUG. L. de pecc. orig. et GREG. L. 17. Mor. c. 10. (al. 15.) quod Scriptura doceat esse quorundam singulare privilegium, quo ante nativitatem sanctificati fuerint; ex quo signum habetur, alios sine gratia nasci: cum vero in homine ad finem supernaturalem creato inter gratiam et peccatum medius status non relinquatur, sequitur singulari hoc privilegio non donatos concipi et nasci in peccato.

83. *Obj. 1. Cum Juliano*. Non peccat iste, qui nascitur: non ille, qui genuit: non Deus, qui condidit; per quas igitur rimas tot inter præsidia peccatum ingreditur. *Conf. 1.* Peccatum est actio vel omissio libera contra legem Dei: ejusmodi non est originale, quia infantes nec cognitionem legis nec usum libertatis habent; ergo. *Conf. 2.* Peccatum, dum contrahitur, debet posse caveri: originale ab infantibus caveri nequit; ergo.

R. Cum S. AUG. L. 2. de nupt. et concup. c. 28. *Quid querit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis* etc. *Quid querit amplius, quid querit apertius?* etc.

Ad Conf. 1º. D. M. Peccatum personale et actuale est actio etc. C. originale subd. est actio vel omissio physice libera, et quæ sit voluntate propria N. moraliter libera, quæ physice voluntate aliena, et moraliter tantum propria sit C. Infantes tametsi physice et in se seu secundum suam entitatem non extiterint, moraliter tamen et relate ad præceptum divinum erant in Adamo tanquam physico non solum capite generis humani, sed maxime tanquam in capite morali et omnes posteros representante quoad violationem vel observationem præcepti de non comedendo fructu. In eo ergo sicut peccaverunt, sic etiam cognitionem legis et libertatis usum habuerunt.

Ad Conf. 2º. D. Similiter de peccato personali et originali. Notandum præterea originale peccatum esse respectu parvulorum peccatum *habituale*; atque hinc quidem dicit reatum actu contrahi, actum vero peccati tantum moraliter perseverare, quemadmodum quis diu post datum venenum subsequente homicidio incurrere censuras potest.

Inst. 1. Omne peccatum, etiam originale, est in anima: atqui anima prolis nec ab Adamo nec a parentibus trahitur, sed a Deo creatur; ergo. *Conf.* Peccatum Adami, in quo peccavimus, fuit ei condonatum, antequam gigneret filios; ergo in posteros transfundi nequit.

R. D. m. Nec etiam animæ compars, quæ cum illa constituit hominem, trahitur ab Adamo N. trahitur tamen corpus tanquam animæ compars C. Ad peccatum illud in anima contrahendum sufficit, quod homo, cujus pars est anima, oriatur ab Adamo; quia Deus voluit, ut voluntates omnium hominum via generationis ex Adamo descendantium includerentur in eo tanquam capite morali.

Ad Conf. D. A. Peccatum Adamo fuit condonatum, quatenus erat peccatum ipsius C. quatenus erat peccatum posterorum N. Adamus peccavit et ut